

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputationes|| ROBERTI BELLAR-||MINI E SOCIATE  
IESV,|| DE CONTROVERSIIS CHRISTIANAE|| FIDEI,  
ADVERSVS HVIVS TEM-||poris Hæreticos,||**

Tribus Tomis comprehensæ.||

DE CONCILIIS, ET|| ECCLESIA MILITANTE,|| QVATVOR LIRBRIS||  
COMPREHENSA.||

**Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>**

**Ingolstadii, [1599]**

**VD16 B 1607**

XI. Nota octaua.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53873](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-53873)

Ioannes VVIGANDVS in libro de erroribus Georgij Maioris: *Tu, inquit, Georgi, es ille vir, qui turbat Israël, non nos, qui te monemus de fœdis erroribus pugnantibus cum verbo Dei; nam tu ista zizania est et tros errores, in Ecclesia Dei libris editis, longè lateq[ue] disseminas, ac plantas. Non vero Ecclesiam Dei hortamur, ut in Vera, est semel agnita, atq[ue] accepta puritate doctrina à Deo per salutare organum Lutherum perfest. Et infra: Non sunt lana, neq[ue], linum, de quibus hic disceptatur; sed de grauissimis doctrinae Christianae capitibus, quæ à matore, est alius fœde depravantur. Et infra post quartum errorem: Maior, inquit, ingenti audacia gloriatur, sene pilum quidem de doctrina Lutheri discessisse, est interim totam Lutheri doctrinam de seruo arbitrio, reproba menti est Diabolo in cathedra Lutheri sedens attribuit. Et infra post septimum errorem: Hos perniciosos errores, inquit, Maior, vir Dei Lutherus tum in scriptis suis, tum disputationibus publicè refutauit, est expposit.*

Præterea inter ipsos rigidos quæstio grauissima orta est de peccato originis; nam Illyricus contendit peccatum originis esse substantiam, & contrariam sententiam vocat *specie Pelagiana*. Contrà verò Ioannes VVigandus, Tilmanus Heshusius, & alij scribunt contra Illyricum, ut contra manifestum Manichæum. Certe Heshusius initio antidoti contra Illyricum, docet istam quæstionem ad fundamenta fidei pertinere.

Denique ex eadem prouincia Saxonie, intra decem annos prodierunt contradictoriæ sententiæ publico nomine editæ, de re omnium grauissima. Nam in Synodo Dresdeni anno M. D. LXXI. celebrata communi consensi explorent sententiam Brentij, Illyrici, & aliorum de persona Christi, & tamen illam ipsam sententiam à se damnatam, anno M. D. LXXX. in libro Concordiæ publicè receperunt, & tam Synodus, quam Concordia VVittembergæ impressa sunt, & eiusdem Principis auctoritatem præ se ferunt,

## C A P V T XI.

### N O T A Octaua.



CTAVA N O T A est SANCTITAS doctrinæ  
Vera enim Ecclesia nō solū est Catholica, Apo-  
stolica,

stolica, vna, sed etiam sancta, ut habet Symbolum Constantinopolitanum: Constat autem sanctam dici Ecclesiam, quia professio eius est sancta, nihil continens falsum quoad fiduci doctrinam, nihil iniustum quoad doctrinam morum. unde in Psalm. 18. appellatur lex Domini immaculata, testimonium fidele, praeceptum Domini lucidum. Ex hac nota cuiusdenter ostenditur nullam esse veram Ecclesiam, nisi nostram; nulla enim est secta vel Paganorum, vel Philosophorum, vel Iudeorum, vel Turcarum, vel Hæreticorum, quæ non contineat aliquos exploratos errores, & rectæ rationi manifestè contrarios.

De PAGANIS multorum Deorum cultoribus ostendit quām absurdā, acturpiā senserint Minutius Felix in Octauio, Arnobius lib. 4. 5. 6. & 7. contra Gentes, & Augustinus lib. 7. de ciuitate Dei, per totū, nec ullus de hac re hoc tempore dubitat.

De PHILOSOPHIS antiquis idem docet Theodoreetus. . . . in libro de legibus, qui est nonus ad Græcos, ubi docet, Lycurgi legibus permitti adulteria: legibus Persarum permitti incestas nuptias cum matribus, filiabus, sororibus: legibus Massageterum, morituros & senes à propinquis devorari: legibus Tibarenorum, deiici senes ex altis turribus: legibus Hyrcanorum, proiici cadavera hominum canibus: legibus Scytharum, cum mortuis sepeliri viros, qui ab eis dilecti fuerant: legibus Platonis, quæ visæ sunt omnium optimæ, horrenda virtus præscribi, vellaudari, ut communionem uxoriū, nefandam libidinem, extinctionem conceptuum, cædes infantium, & similia.

De MAHUMETANIS idem pater ex Alcorano; nam capite 2. docet omnes saluari in suis legibus, si eas seruent, Iudeos, Christianos, Turcas, cap. 5. 28. 47. 48 & aliis passim docet beatitudinem futuræ vitæ consistere in cibo, & potu, & vxorum multitudine, nec unquam in toto Alcorano mentio sit actionum spiritualium visionis, vel amoris Dei, cap. 43. dicit Deum, & Angelos orare pro Mahumeto: similia absurdissima passim leguntur in Alcorano.

De IUDAIS, qui post Christi adventū scripserunt, manifestum est ex libris ipsorum; nam in primis in doctrina Talmud, quæ est ipsorum verbum Dei non scriptum, inueniuntur innumerabiles errores, de quibus vide Sextum Seneensem lib. 2. Bibliothecæ sanctæ R. Salomon, quem Iudei maximis faciunt,

faciunt, in cōment. cap. 2. Genes. in illud: *Hoc nunc os ex offi-  
bus meis; dicit Adamum cum omnib. bestiis, & feris carnali-  
ter congressum, nec potuisse libidinem explere quousq; ad  
Eux amplexus peruenit.* Idem in cap. 28. Numer. in illud: *In  
kalendis autē offeretis holocaustum Domino.* Ipse legit hol-  
ocaustum Domini, & dicit prēceptū esse offerri holocaustum  
in die nouilunij pro peccato Dei, quod commisit cūm dimi-  
nuit lumen lunæ. quam fabulam narrat idem R. Salomon in  
cap. 1. Genes. in illud: *Duo luminaria magna.* Idem in cap. 4.  
Deuter. in illud: *Creauit Deus hominem, dicit Adamū fuisse  
tam procerum, ut capite cœlum tangeret, dum esset in ter-  
ra: similia passim occurruunt in libris Iudæorum.*

De HABRETICIS antiquis idem ostendi potest; nulla e-  
nim serè fuit hæresis, quæ non habuerit manifestos errores.  
GNOSTICI inter alia frequentari debere docebant seorsa-  
tiones, & luxuriam omnem exerceri, tamen vitari conceptū,  
& si conceptus casu sequebatur, extrahebant de vtero præ-  
gnantis & contusum in mortario, ac melle & pipere condi-  
tum deuorabant, & hoc modo magnum Pascha se celebrare  
dicebant: Ita refert Epiphanius hæres. 26.

CARPOCRATIANI docebant, teneri vnum quemque  
ad omnia genera scelerum perpetranda, & si cūm morieban-  
tur, non perpetrauerant omnia, dicebant animas remitti ad  
corpora, idque toties, donec implerent scelerum mensuram,  
& hoc modo exponebant illud Euangeli; Non exies inde,  
donec reddideris nouissimum quadrantem: Ita Epiphanius  
refert hæres. 27.

MONTANISTAE sacrificium efficiebant ex sanguine  
anniculi infantis, quem minutis vulneribus æreis aciculis  
totum exprimebant incredibili credulitate: Testis est Augu-  
stinus hæres. 26.

MANICHÆI docebant, æquale peccatum esse prēcide-  
re folium de arbore, atque hominem interficere: iidem al-  
serebant partes diuinæ essentiæ teneri captiuas à principi-  
bus tenebrarum, & ex iis aliquas liberari, alias in æternum  
damnandas: Augustinus hæres. 46.

DONATISTAE, vt seipso martyres facerēt, de montibus  
ipsi se præcipitabant, vel aquis præuocabant, vel in igne con-  
iiciebant, vel mortem minabantur, & inferebant iis, qui eos  
occidere nollēt: Testes Augustinus epist. 50. & Theodoretus  
lib.

lib. 4. de hæret. fabulis: eius generis infinita adduci possent.

Sectarij nostri temporis docent omnem hominem iustificari sola fide speciali, qua quisque certò credit, se propter Christum coram Deo esse iustum. quod cum quolibet paradoxo comparati potest, non enim est id supra vel præter rationem, sed planè contra omnem rationem. Quare enim, cùm incipio credere me esse iustum, vel sum iustus, vel iniustus; si iustus, igitur non iustificor per fidem, qua credo, me esse iustum, quia ista fides est posterior mea iustitia; si iniustus, ergo ista fides est falsa, ergo non est fides diuina iustificans, nisi dicamus, homines iustificari per mendacium.

Præterea Lutherani omnes, maximè spiritum precum, & invocationem extollunt: & tamen hæc fides tollit orationem Dominicam; nam si certò credo, me nullum habere peccatum, mentior, si cum hac fide dico, dimitte nobis debita nostra: præterea Calvinistæ Anabaptistas omnino damnant, nec censem posse eos iustificari, nec saluari, nisi convertantur ab erroribus suis, & tamen sciunt Anabaptistas certò credere se esse iustos, ergo coguntur dicere eos simul & iustos, & non iustos esse.

Præter hoc dogma commune, singuli habent sua propria dogmata, plena manifestæ absurditatis: Anabaptistæ præter alia multa habent nocturna conuenticula, in quibus nuptias caninas exercent, ut colligitur ex articulis eorum, quos Ioannes Cochlaeus refutauit, & aperte etiam propriis sororibus iunguntur. Artic. II. Anabaptistarum est, nemo debet publicè prædicare; Artic. 17. post sermonem fiat adhortatio, ut crescant, & multiplicentur; Artic. 19. licet fratribus germanis sororem in uxorem accipere.

LUTHERANI habent quasi proprium errorem illū manifestissimum, quod infantes, dum baptizantur, utantur ratione, audiant verbum Dei, credant, diligent, quod in Synodo DVittembergensi anno M. D. XXXVI. publicè definierunt, quod tamē aperte repugnat veritati, ut Augustinus ep. 57. ad Dardanum scribat, iniuriam facere humanis sensibus, qui hoc dicunt: Quomodo enim credibile est infantem, qui plorat, & reluctatur quantum potest, dum abluitur, intelligere, quid agatur? Porro CALVINISTAE habent tanquam propriam sententiam illam, non modò pietati, sed etiam rationi apertissimè repugnantem, quod omnia absoluta ne-

cessitate eueniant, quodq; Deus sit causa peccatorum, à qua Lutherani penè omnes iam discesserunt.

At Ecclesia nostra Catholica nullum errorem, nullam turpitudinem, nihil contra rationem docet, et si multa supra rationem: Proinde sola est absolutè sancta, eiq; soli conuenit, quod in Symbolo dicimus: *Credo sanctam Ecclesiam: Quam rem ostenderunt aduersus Paganos, Iustinus in utraque Apologia: Tertullianus in Apolog. cap. 36. & sequentibus: Arnobius lib. 1. 2. & 3. contra Gentes: Minutius Felix in Octauio: Augustinus in libris de ciuit. Dei: Contra Paganos autem & hereticos omnes, idem ostendit accuratissime beatus Thomas in libris contra Gentes.*

Concludamus igitur cum S. Augustino lib. 2. de ciuit. Dei, cap. 28. *Nihil in Christianis Ecclesiis turpe, et flagitiosum sperandum, impiandumq; proponitur, sibi Veri Dei aut praesepia insinuantur, aut miracula narrantur, aut dona laudantur, aut beneficia postulantur. Et lib. 22: cap. 7. Persuadebatur Veritas noua consuetudini, sed non contraria ratione.*

## CAPUT XII.

### NOTA NONA.

**N**ONA NOTA est EFFICACIA doctrinæ, sola enim vera Ecclesia haber doctrinæ, non solum immaculatam, sed etiam cōuententem animas, vt dicitur Psal. 18. & sermonem viuum penetrarem usq; ad diuisionem animæ, ac spiritus, Hebr. 4. Iam Philosophi antiqui tametsi magnam sapientiam ostentarent, & summa eloquentia leges suas populis suaderent, nunquā tamen vel vicina oppida ad suas leges trahere potuerūt, vt docet Athanasius lib. de humanitate Verbi, & Theodoreetus lib. de legibus, quia non erant verba eorum verba viua, sed mortua, non spiritus Dei, sed spiritus hominū. Mahometanus autem traxerunt quidem multos, sed terrore armorum, nō vi, & efficacia doctrinæ: Quare ipse met Mahometus in Alcorano, cap. 18. & 19. docet, bello cogendos homines ad fidem. Porro hæretici nunquam leguntur conuertiisse illos Ethnicos, aut Iudeos ad fidem, sed solum perueritiisse Christianos, quod etiam notauit Tertullianus in libro de præscript. hæret. *De Verbi, inquit, administratione quid dicam?* Cūm hoc sit